



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio III. Vtrùm humanitas Christi moraliter tantùm; an etiam physice,
effecerit ea opera?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

tici, & energumeni quiescunt ob solam alius hominis bonam & ponderosam temperaturam? aut prædicuntur futura ob solum corpus temperatum ad pondus? naturaliter ergo, & non ex libito temperari hæc contingerent, vt rectè dicit P. Vasquez.

§. 14. Nec minus est irridendus Avicenna, qui vehementi imaginationi adscribit admirandos effectus non solum in corpore proprio, sed & in alieno: quia animus vim habet angelicam. Errat autem Primùm: quia animus est speciei longè inferioris angelis, est ens incompletum petens corpus ex natura sua: esto tamen, quando est separatus, habeat vim angelicam, vt & species impressas longè nobiliores, quàm dū in via est. in corpore quis experitur eas vires, magis quàm cognitionem similem angelicam? nec verò angeli possunt suscitare mortuos, futura libera certò prædicere: quamuis motu locali possunt multa supra vires humanas.

§. 15. Alij magis catholicè & Theologicè hæc adscribere visioni beatæ: verùm visio inmediate nihil ad hæc confert, ratione autem eius debentur corpori beati dotes, quibus præstari possunt multi ex illis effectibus, quos Christus per miracula præstitit: quales sunt enatio in vndis; qua vortices marinos tam firmè calcavit, quàm terram: penetratio cum vtero virgineo, quando natus est ex illibata Maria; egressio è tumulo, ingressio in cænaculum clausis foribus, in caelos commeatio, perfusio lucis in transfiguratione, & alia id genus. At his dotibus caruit Christus. Nisi velis eis vsum ijs in euentibus, quod post resurrectionem est certum. Prædictio futurorum potuit esse à visione beatæ: at non suscitatio mortuorum, nec sanitas claudorum, cæcorum, aridorum, &c. Quæ nec ab angelis fieri possunt: quod attinet ad suscitandos mortuos: quamuis possunt nonnulli morbi curari applicando actiua passiuus.

§. 16. Superest ergo, Christi humanitatem vt instrumentum Dei ea miracula effecisse: nempe, quia Deus erat cum illo; quem voluit publico honore afficere, vt omnes sibi persuaderent eius doctrinam. Quæ quia erat supra naturam captum, morefque composuit indistincto bello indulgentiæ genij; par erat, vt portendentibus signis confirmaretur à Deo.

SECTIO III.

Vtrum humanitas Christi moraliter tantum, an etiam physicè effecerit ea opera?

§. 17. Instrumentum physicum est, quod per se attingit effectum. Non ago de instrumento artis, quod nisi motu locali nihil efficit; nec de instrumento naturali, quod in sola dispositione versatur, non attingens inmediate principalem effectum, vt ostendi disp. 9. Physic. §. 143. Ago de instrumento obedientiali, à quo per se dependet actio: quia est ad illud vt principium actiuum ordo transcendentialis: at in effectu nulla formalitas responder: itaque in gratia Sacramentali nulla formalitas responder. Pone, calorem influere inmediate in substantiam ignis; esset instrumentum naturale: quia calori nulla formalitas in igne responderet. Quæ igitur vtrum humanitas Christi effecerit miracula, vt calor à nonnullis ponitur efficere ignem,

§. 18. In miraculis Christi sunt nonnulli effectus, s. Thom. qui absolute & secundum se poterant effici ab ipso vt homine, vt à causa principali connaturali. In resuscitatione mortuorum, reperitur vnio corporis & animi; quam Christus potuit efficere naturaliter: quia potuit hominem generare, potuitque Deus parere Christo concursum, vt Lazarum naturaliter gigneret: at modus, quo eos præstitit effectus, non fuit naturalis: ob quod ea actio non est orta à Christo, vt à causa principali: quia ex eo modo eam attingendi nulla, in homine formalitas Christo responderet, magis quàm si lapis eleuaretur ad eam actionem.

§. 19. Instrumentum morale est, quod per se non attingit actionem, sed per alienam voluntatem. exempli gr. ego ostendo syngrapham Petri, qua testatur à se deberi mihi centum aureos; iudex cogit Petrum ad solutionem: syngrapha dedit mihi aureos non per se, sed per iudicis voluntatem: fuit ergo syngrapha causa moralis solutionis, non tamen physica. item meritum est causa moralis augmenti gratiæ & gloriæ: quia non per se id efficit, sed per voluntatem Dei, quam mouet ad augmentum.

§. 20. Hæc causa moralis est bipartita. Altera mouet voluntatem alienam absque actu proprio: vt syngrapha mouet voluntatem iudicis absque actu proprio syngraphæ: & baptismus datus ficto, abscedente fictione mouet Dei voluntatem ad conferendam regenerationem absque actu proprio ipsius baptismi. Altera verò mouet per proprium suum actum, vel imperando effectum alicui: vt iudex imperat tortori necem damnatorum, & quialium præcipit occidendum iniultè: hi duo sunt causa moralis, alter necis iustè per voluntatem tortoris, moti ad exequendū supplicium per cognitionem imperij iudicis; alter homicidij, per voluntatem homicidæ, moti cognitione imperij sui heri aut amici.

§. 21. Potest item aliquis esse causa moralis proprio suo actu, quo paciscitur cum alio actionem. vt ego sum causa culturæ mei prædij: quod dicor fodisse, aut arasse, quia operæ cognita voluntate mea, voluerunt operam nauare culturæ. Tertio, potest esse causa moralis per preces & orationem: vt homo iustus impetrat à Deo, quæ poscit beneficia.

§. 22. Dico Primò: Christus vt instrumentum & causa moralis effecit miracula. Probatur Primùm auctoritate ipsius Christi Lazarum iam suscitaturi: egit enim gratias Patri, quod ipsum audiisset, sciens se semper audiri: item nostram iustitiam impetrauit cum lacrymis, & clamore valido, fuitque exauditus pro sua reuerentia. Hæc autem instrumentaria causalitas fuit per preces & merita. Dixi esse instrumentum, non quod existimem Christum ea non meruisse condignè: illa enim, & infinita alia, meritis est plusquam condignè. sed quia latiori in significatione accipio instrumentum pro causa concurrente, quin in effectu aliqua formalitas respondeat agenti. totus igitur effectus datur ob merita Christi: in ipso autem nihil responderet Christo per ordinem transcendentalem effectus ad causam: ob quod eum voco instrumentum, vt operatur per humanitatem; in genere autem meriti causa principalis est, & adæquata.

§. 23. Dico Secundò: Non fuit causa moralis quasi mortua, & sine actu proprio: sed semper per actum proprium exercitum ab anima Christi. Probatur:

S. Thom.
q. 13.

batur: quia ab instanti conceptionis Christus cognouit quid agere oporteret tam in suo corpore viuo ac mortuo, quam in alijs rebus: de quibus omnibus singillatim, & in indiuiduo, liberè egit cum Patre.

§. 24. Dico Tertio: Christus fuit etiam instrumentum physicum miraculorum per potentiam obedientialem actiuam: quam esse possibilem probaui disp. 9. Physic. à §. 177. ea autem admissa, cur de facto negabitur Christo? aut cui melius aut dignius communicari poterit, quam humanitati Christi: in aliquibus autem potuit esse causa principalis quoad substantiam, licet non quoad modum habendi virtutem principalem, vt in ijs quæ per motum localem effecit. Confirmatur. Afferunt Euangelistæ à Christo exiisse virtutem Dei, & sanatos ab ipso omnes: hæc autem virtus erat ipsa actio sanans ægros, item eius vestimenta ea virtute sanauerunt feminam: ob quam interrogauit Christus quis eum tetigisset, quia ab illo exierat virtus.

§. 25. P. Vasquez disp. 57. cap. 5. conatur probare, Christum non usum potentia obedientiali actiua. Primum, quia est impossibilis. Secundò, quia sæpè repugnabat, vt adducere animam Lazari ex sinu Abrahæ, inambulare mari, dæmones tenere aut eicere. Respondeo, non esse opus vt omnia miracula sint physicè ab humanitate Christi; sed illa, quæ erant in indistincta necessaria: esto adductio animæ Lazari non fuerit physicè à Christo: quia vox Christi peruenire potuit ad Lazari corpus, & illa physicè concurrere ad vnionem corporis & animi: vel Christus ipse agens aliquid in medium, potuit agere in distans, vt de causis naturalibus dixi disp. 9. Physic. à §. 70. vel in opinione Scoti potuit agere in distans. consequenter ergo ad opiniones physicas ratiocinandum est hæc.

§. 26. Inambulatio super aquas potuit esse physicè à Christo, vel ratione agilitatis, quam tunc habere potuit (si illa est qualitas physica): vel quia ipse in genere causæ efficientis se tenebat, ne mergeretur, & quasi leuabat: vel quia aquæ ipsis pedibus Christi tenebantur, ne fluerent. quòd si id contingebat solùm negato concursu Dei, vel ne Christus mergeretur, vel ne aquæ disfluere; non poterat Christus vt homo physicè id efficere: ad quid opus erat illa ratione miraculi, cum Christus alijs multis illud posset efficere: nec hæc erant superflua: quamuis enim ad effectum non erant physicè necessaria; erant tamen accommodata ad magnitudinem amoris Dei in humanitatè Christi, quam voluit omni ratione honestare.

§. 27. Dæmones autem potuerunt physicè à Christo vel teneri, vel expelli, impresso impetu in eorum substantiam, quo aut cogentur exire, vt corpus cogitur ab angelo, & vnus angelus ab alio; vel non permittentur moueri, vt corpus impeditur alio corpore, & angelus ab angelo: silentium autem potuit illis physicè indicare, tenens quasi fræno ora energumenorum: item & ipsam dæmonum substantiam omisâ cogitatione; ad quam physicè Christus concurreret. sic possemus cuncta miracula recensere.

SECTIO IV.

Vtrum humanitas Christi potuerit quod per alios fieri voluit?

§. 28. Christus multa voluit per alios efficienda, quæ non obtinuit, nec potuit: voluit enim aduentum suum Tyrum latere Tyrios, quod ait Euangelista non potuisse Christum. Quo argumento vsus est Agatho Papa in Concilio VI. generali contra Monothelitas; vt ostenderet in Christo voluntatem humanam, quæ aliquid non potuit, quod voluit: de diuina autem id dici non potuit. Hæc sunt duæ difficultates: altera, vtrum Christus vt homo voluisset verè latere, sciens id esse contra voluntatem Patris volentis eius aduentum Tyrijs aperiri: item vtrum ea voluntas fuerit efficax, an verò solùm conditionata? de quo agendum vol. 5. vbi disquiram consonantiam duarum voluntatum in Christo. Altera difficultas est, vtrum Christus vt homo potuerit absolurè assequi finem illum?

§. 29. Si Christus omnino absolurè velle effectum, non dubium quin illum assequi posset. Primum moraliter: ipse enim sciebat se à Patre semper audiri, nec Pater ei negaret effectum illum: vt ipse item dixit se posse rogare Patrem, à quo acciperet auxiliares plusquam duodecim legiones angelorum, item, si ipse imperaret angelis suis familiaribus, ipsi tenerent ora Tyriorum, ne dicerent eius aduentum. Physicè autem etiam potuit: si enim ipse mutato habitu intraret Tyrum, non agnosceretur à Tyrijs. item si non permitteret se videri, posset vt se abscondit in templo, & non se permisit præcipitè agi à suis ciuibus: item vt tenuit discipulorum oculos, ne illum agnoscerent euntè Emaus.

§. 30. Physicè item potuit: quia dum erat in distantia accommodata, potuit eorum ora frænare, ne id loquerentur. potuit item eos sequi, vel impedire ne id loquerentur; vel occulta facultate naturali alicuius herbæ illis esse impedimento; vel eis immittere vehementem aliarum rerum imaginationem, aut dolorem alium. Denique mille modis per se, per angelos, & per orationem id potuit.

§. 31. Dicitur autem non potuisse, relictus viribus puræ naturæ: quia nec id petiuit à Patre applicans ad id sua merita: nec vsus est potestate mirabili diuinitus accepta in homines & angelos: nec voluit se occulere, nec habitum mutare, ne fugitiuus videretur aut suspectus: sed voluit se gerere, qua ratione homines prudentes solent relictis suis viribus. hoc pacto ea voluntes Christi non potuit obtinere quod voluit.

§. 32. Ex qua bene intulit Agatho, eam esse humanam, non incretam. Quia quamuis Deus interdum non assequitur, quod vult actu inefficaci; non tamen est ob impotentiam ipsius Dei relictis suis viribus, sed quia ipse noluit totas vires exercere: at Christus voluit vt viribus suis naturalibus, quibus non potuit alijs impedire prædicationem sui aduentus: hanc enim non potuit, nec latere per illius priuationem: quamuis latere potuit habitu mutato. In quo sensu accipitur Euangelista affirmans Christum non potuisse latere; non quòd non potuisset delitescere; sed quia non potuit impedire, ne eius diceretur aduentus.